



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den

Antverpiæ, M. DC. XLV.

Admodvm Reverendis, Nobilibvs, Et Clarissimis Dominis Decano Et
Capitvlo Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis, Et Singvlatim

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

ADMODVM REVERENDIS,

NOBILIBVS, ET CLARISSIMIS DOMINIS


DECANO ET CAPITVLO

CATHEDRALIS ECCLESIAE

ANTVERPIENSIS,

ET SINGVLATIM

- R.D. FRANCISCO DINGHENS I.V.D. Protonotario Apostolico, Domino de Westdorp, Decano,
R.D. MATTHEO LEERMANS I.V.L. Cantori,
R.D. CHRISTIANO VOOCHTS S.T.L. Archipresbytero,
R.D. THEODORO VOOCHTS S.T.L. Penitentiario,
R.D. IOANNI HEMELARIO,
R.D. IOANNI CRANENDONCK I.V.L. Proton. Apost.
R.D. IOANNI ANTONI S.T.B. Thesaurario,
R.D. PETRO COENS S.T.L. Librorum Censori,
R.D. GREGOR. MAX. HAPPAERT I.V.L. Prot. Apost. de Oratorio Regio, Officiali,
R.D. AVBERTO VANDEN EEDE I.V.L. Proton. Apost. Scholastico, Sigillifero,
R.D. HENRICO VVALRAVENS S.T.L. Protonotario Apostolico Decano Christianitatis,
R.D. ANTONIO TASSIS I.V.L.
R.D. BALDVINO NIEVBORCH S.T.L.
R.D. SALOMONI HAECX S.T.L.
R.D. GVILIELMO VAN HAMME I.V.L. Proton. Apostolico,
R.D. ANTONIO VAN BERCHEM I.V.L. Actuarius,
R.D. GVILIELMO BREVGHEL S.T.B. Plebano,
R.D. ROBERTO SVVERTIO S.T.L. Plebano,
R.D. ZEGHERO ZEGHERS I.V.L.
R.D. GVILIELMO BOLOGNINO S.T.L. Librorum Censori,
R.D. MELCHIORI VANDEN BOSSCHE S.T.L.
R.D. HENRICO VAN HALMALE I.V.L.

 Ntuerpiensem Ecclesiam labore B. Eligij sub ann. 1001. plantatam, sudore B. Amandi post paulo, & B. Wilibrordi ann. 1000. rigatam, Persona dumtaxat & Presbytero iam olim instructam, Godefridus Antuerpię Marchio, Ballo-

EPISTOLA

Bullonij Dux, & postea Hierosolymorum Rex, bellum sacrum
 auspicaturus anno cixcvi. auxit Collegio Præpositi, & Cano-
 nicorum duodecim: in dotemque dedit duos manipulos deci-
 marum, quos eo loci, & per vicinos aliquot pagos obtinebat: re-
 siduo manipulo, personatu per Ordinarium extincto, presbyte-
 ratu coniuncto, in Collegium cum omni iure parochiali tran-
 eunte. Decorata etiam fuit Ecclesia sanctissimo Domini Præpo-
 sitio, per Henticum Noese, presbyterum, ortu Antuerpiensem,
 sacellanum antè eiusdem Regis Godefridi; ac tunc Episcopum
 Ierosolimytanum: sub Balduino Godefridi fratre ac in regnum
 successore, labentibus illic ac iam desperatis penè rebus, huc mi-
 so. quod ad nostra vsque tempora seruatum, ab hæreticis, De-
 hostibus, deperijt. etsi nihilominus spectabilis Confraternitas ad
 honorem sanctissimæ Circumcisionis iam olim instituta, & pri-
 vilegijs etiam Pontificijs, Indulgentijsque donata etiam nunc
 deuotè hîc perpetuatur. Emersit paucis post Godefridum annis
 quidam Tanchelinus, Adamiticam sacramentariamque sectam
 tam verbis prædicans, quam armis stabiliens, trahens enim
 secum exercitum aliquot millium. in idemque tempus
 cum excitasset Deus spiritum Sancti Norberti, opere & sermone
 potentem; hunc Præpositus & Capitulum in auxilium de-
 bellandi hæresiarchæ aduocarunt: & adfuit ille promptè & au-
 xilia præstitit: quibus illa tum hæresis profligata, ac tandem ex-
 tincta est. eam in rem Præpositus & Capitulum Norberti & au-
 xiliaribus socijs ecclesiam Sancti Michaelis cum aliquot capel-
 lis, fundum omnem adiacentem, quatuor præbendas, seu do-
 norum trientem, cesserunt: parochialium tunc ministerium,
 obuentionumque consortes fecerunt; in perpetuamque quasi
 fraternitatem adsciuerunt. migrarunt porro ipsi ad Ecclesiam
 Beatæ Mariæ, quæ iam votis, præsertim nauigantium, miracu-
 lisque Virginis clarescere ceperat. Vbi postea ann. cixccxii
 Henricus, *Dux Lotharingia, & Marchio Romani Imperij* ad
constructionem claustrij & usum canonicorum dedit, quod
 inter vtrumque fossatum cum ecclesia interiaceret. vbi nunc ce-
 miterium vndique, & canonicorum ædes sunt, vel olim aræ in
 censum fuere datæ, seu aliàs alienatæ. Hîc ergo vt diuinus cul-
 tus solemnîus iterum perageretur, præbendas suas mox à tran-
 situ suo secuerunt; & ad pristinum numerum duodenarium re-
 duxerunt: ac sæculo dein altero an. cixccxl. dissectis iterum
 præbendis, canonicorum numerum ad xxiv. produxerunt. es

DEDICATORIA.

eis meritò quadrare possit, quod Tiberius de Curtio Rufo aliquando pronuntiabat; *videtur mihi ex senatus esse.* Omitto intra ambitum parochiæ suæ matricis, liberaliter ad populi accrescentis commoditatem, cōcessisse erectionem nouarum parochialium Ecclesiarū S. Georgij xv. Maij cccccclxxvii. S. Iacobi iii. Iulij cccccclxxii. ac S. Walburgis i. Martij cccccclxxviii. (pleniorem hīc quam ante ceperat) S. Andreae xxix. Maij cccccclxxix. Vocarunt etiam in subsidium, admiseruntque in partem sepulchralium obuentionum, quibusdam sub pactis conuentis, S. Dominici, reliquorumque Ordinum religiosos. Præter hæc singuli legata ac pias donationes fecerunt non exiguas. sed ex quibus Collegium honestè nunc (demeritis scilicet per vim hostilem agris, pagisque penè omnibus, vbi decimæ Fundatoris colligebantur) se exhibet, præter iura parochialia; eaque bona, quæ Archiduces Albertus & Isabella, Principes incomparabiles, largiti sunt ad Saffum Gandauenfem, & paludem in Morinis exsiccatam, probante exinde Rege Catholico. quæ tamen ipsa magnis suis sumptibus Collegium à mari vindicauit, aut meliorauit. Sed quorsum hæc tam latè? vt secundum monitum Ecclesiastici *laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* maiores, inquam, nostros: quorum generatio est insignis nunc illa Abbatia S. Michaelis, triens deinde nouus præbendarum; atque alter assis primitiuo præbendarum numero insuper duplicato: varia denique beneficiorum, piarumque foundationum accessio. quippe vnde prodies multæ, laudatiq;e hæctenus in Dei ecclesia ministri. Dedit siquidem hoc Collegium iam olim Adrianum vi. Pontificem maximum: & sub eo Guilielmum Enkeuortium Cardinalem. vt & habuit paulò antè Cardinalem de S. Seuerino anno cccclv. S. Georgij ad velum anno cccclviii. S. Petri ad Vincula anno cccclviii. Anconitanum an. cccclxxi. & Episcopum Feltrienfem an. cccclxli. Dedit eadem Ecclesia Franciscum Busleydium Archiepiscopum Bifuntinum, Franciscum Sonnum primum Episcopum Buscoducenfem, ac deinde Antuerpiensfem; Petrum Damantium Episcopum Gandauenfem, Carolum Masium Episcopum Ipresfem, mox etiam Gandauenfem. Sed & cum populi multitudo, & temporum iniquitas exigeret nouorum in Belgio Episcopatum erectionem, etiam Episcopalis cathedra in hac Ecclesia est collocata: & quidem primo post Archiepiscopatus loco, in bullatis literis à Pontifice nominata. vt & iam pridem in

EPISTOLA

Sic honore-
tur, quem
Rex volue-
rit honora-
re. Ester.
6. 6.

literis Ioannis XXIII. datis ad postulationem Antonij Ducis Bra-
bantia, pro vnione quorundam beneficiorum ad officia vicario-
rum huius ecclesie, narrat idem Dux, annuit Pontifex, quod
illa sub Cathedrali tunc Cameracensi *inter alias honorabilior re-*
putatur in partibus illis. Ad hanc ergo Cathedram assumpti fue-
re Philippus Nigri, prænominatusque Franciscus Sonnius, Li-
uinus Torrentius, Guilielmus à Bergis, Ioannes Miræus, Ioannes
Ma^rderus, omnes doctrina, pietate, scriptis, rebusue gestis quam
eximij! Habuit idem Collegium viros etiam alios pridem, atque
nuper doctrina, atque scriptis claros: Henricum Somerenum,
Guilelmum Hedam, Conradum Goclenium, Tilmannum Be-
denbacium, Petrum Vorstium Rotæ Romanæ Audito^rem, Jo-
annem Liuinæum, Laurentium Beyerlinck, Aubertum Mi-
ræum, Cornelium Motmannum Rotæ etiam Romanæ Audi-
torem, aliosque. ad quorum consortium vocandus etiam est
Petrus van Dale Berlarie, Gestelæ, Berselæ toparcha: quippe qui
famosum in Louaniensi studiorum Vniuersitate collegium
construxerit. quod ab eo Dalense nuncupant. Principum etiam
nostrorum, si quando Louanium venerint, diuersorum De-
Perillast. & R^{mo} D^{no} Gaspare Nemio, qui ex Duacena cathedra
Doctorali ad hanc Episcopalem assumptus, Antecessorum reli-
gijs ita insistit, vt laudes omnium sibi communes fecerit, nihil
dicam. Parcā etiam modestiæ vestræ, & meæ verecundiæ ad
RR. Nobiles, & Clar^{mi}. Dⁿⁱ. neque, quod adulantium est, in os hinc
laudab^o, quos vel nominasse solum; laudasse est: frontispicio
nomina inscripsisse; totidem obscuritati nostrorum laborum li-
mina prætulisse. sed audiatur dumtaxat Ecclesiasticus; *qui de*
illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: & mor-
tui sunt patres, & quasi non mortui: reliquerunt etenim similes sui
post se. fortes creantur fortibus, est & in equis patrum virtus. Iure
igitur, meritoque Ecclesia hæc iam pridem insignis audijt: ac
que olim violaceo habitu Collegas induit: quem colorem et
iamnum in biretis retinet. estque illa, seu Collegium multis
magnisque à S. Pontificibus, Imperatoribus, Principibus ce-
natum priuilegijs, atque exemptione imprimis, & amplissima iu-
risdictione. quæ etsi instituti hinc Episcopatus auctoritatem
nunc non excludat; suorum tamen, tertiorumque respectu
prærogatiuam non amisit. Quam etiam insigniter ornat ipsa ca-
thedralis ecclesie fabrica, turris, aliaque intus, & extus vestibulo-
rum, altarium, picturarumque decora, orbis miracula. in qua
Ede

d. c. 44.
6. 30.

DEDICATORIA.

Æde habita sunt penultima, quæ Philippus II. Ordinis Aurei velleris comitia in Belgio solemniter celebrauit. Accedit magnæ Urbis huius splendor, atque amplitudo: dignitas Senatus, Populiq̃ue virtus; in Deum pietas; cleri obseruantia. quæ illi congenita iam olim in posteros successit. nepotes enim sunt eorum, quos Godefridus Bullonius in societatem belli sacri adlegit. Vt enim ille Prepositum hîc & Collegium duodecim canonicorum instituit; qui pro sacro successu perennes ad Deum præces funderent: ita simul ex nobilitate duodecim militum tribunos delegit: & primos manipulos Cruce signatos ex hoc Populo conscripsit; qui secum arma ferrent in Terram Sanctam. unde tam qui postliminio sunt reuersi, quàm qui ad sarcinas cum clero manere sunt iussi, hanc vibem multa exinde prole beauerunt. quorum ergo maiores ex iisdem incunabilis cum Canonicorum collegio surrexerunt, mirrum non est, *attendentes ad petram unde excisi sunt*, successisse in illorum virtutes; ac morte maiorum cleri amantes esse, atque reuerentes. Sed excedit præconia omnia patrocinium Magnæ Virginis, huius Ecclesiæ, vrbisque Diuæ tutelaris. quæ, vt meritorum suorum verticem super omnes Sanctos erexit, *vt multa filia congregauerunt diuitias, illa supergressa est vniuersas*; ita ipsa quasi terebinthus extendit ramos suos, & rami eius honoris & gratiæ: Ecclesiam hanc, clerum, ciuesque sibi deuotos protexit semper; sub chlamyde sua conclusit; honorabiliter & gratiosè fouit: & cum adoptato filio suo ita contestatur; *Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Suppari etiam hic deuotione colitur Archangelus Michael. cuius ecclesiam et si Collegæ Mariani cefferint S. Norberto, eiusque religiosi; non tamen dimisere cultum. Princeps ipse militiæ cælestis pugnavit cum Dracone, eiectusque ille cælo insidiatur calcaneo Virginis; & facit præhunc cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei: Michael autem, vt canit Ecclesia, *constitutus Princeps super omnes animas suscipiendas venit in adiutorium populo Dei.* ita singulatim anno c1010xxxix. cum hîc Sudor Anglicus, quem vocabant, ita grassaretur, vt triduo vno quingentos homines absumeret; subitò malum desijt cum Clerus, Senatus, Populusque supplicationem sollemnem ipso D. Michaelis die placando Numini instituisset. eoq̃ue in memoriam beneficii quotannis eodem die processionem obit. Iure is ergo chlamyde Virginis protectus, & illius Armigeri gladio defensus,

EPISTOLA

sus, in auita fidei ab Eligio, Amando, Willibrordo accepta, a
 Norberto defenſa ſanitate, hæreſum anathemate, & cultu di-
 uino iugiter perſeuerat. Hæc ſanctiſſima decora; Fundatorum
 gloria ſingularis; magna glorioſorum virorum nomina; tam in-
 uſitata, quàm laudatiſſima Parentum noſtrorum in generatione
 ſua liberalitas, perpetua antecęſſorum in Eccleſiam & rem-pu-
 blicam merita, atque laudes; quem ad eandem virtutis honorifi-
 cæ, viam incundam non accendant? quem non delectet tra-
 miniffe operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis?

1. Machab.
 5.2.

quem non *repetentem exempla ſuorum,*

Et pater Aeneas, & ammiculus excitet Hector?

His itaque virtutum honorumque veſtigijs inſiſtentibus ad
 R^{dis}. Nob. & Clar. Dominationibus veſtris dicatum dedicatum
 que venio librum hunc Reſponſorū: quæ occurrentes aliquan-
 do à me occaſiones exegerunt. Cui enim magis debeam? cle-
 ricus eccleſiæ ſuæ operas debet; ſocij opera ſocietati, collegiorum
 iure communicatur. Rogo igitur vt illi comitas veſtra beneco-
 lum det acceſſum; benignitas, placido lumine videat. Ita Deo
 Opt. Max. Virgo Deipara, Michael Draconis debellator, ean-
 dem hanc urbem, Eccleſiam, & Collegium ad^m. R.R. Nobilium
 & Clariffimarum DD. VV. aduerſus omnia Draconis me-
 llimina perenniter tueantur. Antuerpiæ die ipſo D. Michaelis.

MDCCXLV.

Admod. Reuer. Nobil. & Clar. Dom. Veſtr.

Obſeruantiffimus collega, & cliens

FRANCISCVS VANDEN ZYPE

INDEX